



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

I. An nomen, Sacramentum, sit ἀγραφον, nec vsurpandum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233



SACRAMENTARIVS

ANTICHRISTVS

MYSTERIOMACHIÆ LV- THERO-CALVINI- STICÆ.

PARS TERTIA

De Militaribus Ecclesiæ Sacramentis.

QVÆSTIO I.

An nomen Sacramentum sit ἄγερρον, nec
vsurpandum?

I. ANTICHRISTIANISMVS.



LVTHERVVS cum suis primum
reiecerunt perueicaciter, sed refu-
mente id Luthero, in odium Ca-
rollstadii ac Zvinglii; cæteri quo-
que id receperunt, ac retentant.

CALVINVS pertinaciter reiecit, hodieque
respuunt Caluinistæ & Sacramentarij vniuer-
si, maluntque σφραγιδας, seu symbola. Vide
Luthero-cal. p. 3. q. 1.

CHRISTVS. Cum Sacramentum
sit signum visibile rei inuisibilis, idem
est quod *Mysterion*: & hoc in Biblijs græcè

redditis sæpius rectè vsurpatur. Vt, *Dan.*
2. statua Nabuchodonosoris dicitur
μυστήριον, signum rei secretæ, non, Rem
secretam; sc. successionis regnorum, &
regni Christiani. Ita Apoc. 17. *In fronte*
eius nomen scriptum Mysterium. Intra: *Ego*
dicam tibi sacramentum mulieris, sc. Anti-
christi: Vbi non res latens, sed mulier
signans dicitur *mysterium*. Sic & apud
Apostolū, 2. *Thef. 2. Mysterium iam opera-*
tur iniquitatis: sc. persecuciones Impera-
torum & hæreticorum.

Quare si quidem de vocabulo qua-
ratur; in Biblijs reperitur. Sin' de verita-
te ac proprietate vocis *Sacramenti* agi-
tur; equidem V I I. Sacramenta institui;
qui solus potui, volui, ac debui, vocem

H 2 tamen

tamen nusquam vsurpau; quod, Ioan. 16. *Multa habeo dicere vobis, aiebam, que non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Atque ex illo didicit Apostolus, q̄ de Matrimonio dixit, Eph. 4. *Sacramentum hoc magnum est, sc. viri feminaeque coniunctio significans illam Ecclesie mecum.* Subinde ramen extare volui in Bibliis vocem *Sacramentum*, vbi non denotaret signum rei sacrae; sed rem ipsam secretam: Vt Tob. 12. *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* Ita Eph. 1. *notum feci vobis Sacramentum voluntatis meae.* Et, 1. Tim. 3. *Magnū pietatis sacramentum est incarnatio.*

QVÆSTIO II.

An Verbum Sacramenti sit Predicatorium, an Consecratorium?

II. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI & CALVINIANI in baptismo volunt concionale, & conceptum baptismale:

1. Sed Caluinistæ volunt id esse necessarium ad essentiam Sacramenti; Lutherani verò ad fructuosam susceptionem eiusdem.

2. In Cœna Caluinistæ solum concionale requirunt: Lutherani etiam Verba institutionis: etsi diuersimodè. Vide *Luthero-cal. p. 3. 95.*

CHRISTVS, I. Ego verò in Cœna sum certā verborum vsus formā ad benedictionem panis: *Hoc est corpus meum. quod pro vobis datur:* dein iussi idem vsurpari: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. *Facite,* dixi, totam scilicet Actionem verbi & facti.

Et exinde vsque huc ita factum est. Sicut & in baptismo, dixi; *Docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine. &c.* Sic & factum, fitque adhuc, teste Traditione verborum horum: *Ego te baptizo in. &c.* & non aliorum Necessè est igitur certis vti verbis, si qui velint facere, quod feci ego.

2. Cum igitur in Baptismo suscipitur Ecclesie Autoritas; cur non & in Eucharistia, cæterisque Sacramentis?

3. Sic in Confirmatione vsurpatur forma orationis cum impositione manuum ex Act. 8. An Pœnitentia tenetur forma ex Ioan. 2. *Quorum remisit peccata. &c.*

5. In Ordinatione item concepta seruat, cum manuum impositione.

6. In Vnctione item ex Iac. 5. Traditio formam per vitæ ac renouit.

7. In Matrimonio similiter formam transmittit ad nos Traditio sancta.

II. Nec Concionale Verbum requiri volui.

1. Quia nusquam vel præcepto, vel exemplo sic institui. Quoad Baptismū fit mentio nulla Concionis: vt Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua. &c.* Mar. vlt. *Qui crediderit & baptizatus. &c.* 1. Per. 3. *Vos saluos facis baptisma.* Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum.*

2. Quia dixi, Mar. vlt. *Docete omnes gentes, ætate sc. adultiores prius catechizate;* vt rectè fit, non quod ea catechizatio forma sit essentialis baptismis: cateroquin paruuli doctrinæ incapaces tingi non possent; Attamen *Baptizate eos in Nomine. &c.* Et hæc sola formula est necessaria.

Vnde